

donator prior decesserit, tunc donatio valet. — § 14. Si ambo ab hostibus capti sint, et qui donavit, et cui donatum est, quid dicimus? et prius illud volo tractare. Oratio, si ante mors contigerit ei¹⁰⁰, cui donatum est, nullius momenti donationem esse voluit: ergo si ambo decesserint, quid dicimus: naufragio forte, vel ruina, vel incendio? Et si quidem possit apparere, quis ante spiritum posuit, expedita est questio: sin vero non appareat, difficilis questio est: et magis puto, donationem valuisse; et his ex verbis orationis defendimus: ait enim oratio, *si prior vita decesserit, qui donatum accepit*; non videtur autem prior vita decessisse, qui donatum accepit, cum simul decesserint. Proinde rectissime dicitur, utrasque donationes valere, si forte, invicem donationibus factis, simul decesserint: quia neuter alteri supervixerit: licet de commorientibus oratio non senserit. Sed cum neuter alteri supervixerit, donationes mutuo valebunt: nam et circa mortis causa donationes mutuas id erat consequens dicere, neutri datam conditionem: locupletes igitur heredes donationibus relinquunt. Secundum haec si ambo ab hostibus simul capti sint, amboque ibi decesserint non simul, utram captivitas spectamus tempus, ut dicamus donationes valere, quasi simul decesserint: an neutram, quia vivis eis finitum est matrimonium: an spectamus, uter prius decesserit, ut in ejus persona non valeat donatio: an uter rediit, ut ejus valeat? Mea tamen fert opinio² ubi non reverterunt, ut tempus spectandum sit captivitas, quasi tunc defecerit: quod si alter redierit, eum videri supervixisse, quia rediit. — § 15. Qui quasdam res ex his, quas donaverat, legasset, quasdam non, [non] videbitur ceteras noluisse ad uxorem pertinere: plerumque enim antea legal, postea donat; vel alia causa fuit legandi. — § 16. Oratio non solum virum et uxorem complectitur, sed etiam ceteros, qui propter matrimonium donare prohibentur: ut puta donat socer nurui, vel contra; [vel] socer genero, vel contra³, [vel] consocer, consocero, qui copulatos matrimonio in potestate habent: nam, ex mente orationis, his quoque omnibus permissum est in eundem casum donare: et ita et Papinianus lib. 4 Responsorum sensit: sic enim scribit: *Socer nurui, vel genero donavit: postea filius ejus, vel filia, constante matrimonio, vita decessit: quantum vitium donationis perseverat, tamen, si socer nullam questionem donatibus intulit, post-mortem ejus contra heredes orationis sententia videtur intervenire, nam quae ratio donationem prohibuit, eadem beneficium datum improbat*. Ut igitur valeat donatio ista, Papinianus exigit ut et filius ejus, qui donavit, ante decesserit, et socer postea, durante voluntate. — § 17. Si filiusfamilias, qui castrense peculium habet, vel quasi castrense, uxori donet: filii personam et mortem spectabimus. — § 18. Si nurus⁴ socero donaverit, mortem nurus et perseverantem in supremam diem voluntatem spectare nos oportet. Quod si socer ante decesserit, dicimus extinctam donationem? an, quia maritus vivit, si uxori suae supervixit, admittimus vim habere donationem? Et si quidem maritus solus socero heres existit, quasi nova donatio potest servari in maritum collata; ut illa finita sit, alia coeperit: sin vero filius heres patri non est, finita erit donatio ratione nova. — § 19. Si socer nurui nuncium miserit, donatio erit irrita: quamvis matrimonium⁵ concordantibus viro et uxore, secundum rescriptum imperatoris nostri cum patre comprobatum est: sed quod ad ipsos, inter quos donatio facta est, finitum est matrimonium. — § 20. Proinde et si duo consoceri invicem donaverint, idem erit dicendum, si invitit filius nuncium remisit, inter ipsos irritam esse donationem. In hac autem donatione inter soceros facta, mors desideranda est ejus, qui donavit constante matrimonio et jure potestatis durante: idemque et in his, qui sunt in eorum potestate. — § 21. Si consocer⁷ consocero donaverit, et alter eorum, vel uterque copulatos emancipaverit: debet dici, donationem ad orationem non pertinere; et ideo infirmari donationem. — § 22. Si sponsus sponse donaverit, in⁸ tempus matrimonii collata donatione: quamvis inter virum et uxorem donatio non videatur facta, et verba orationis minus sufficiant, tamen donationem dicendum est ad sententiam orationis pertinere, ut, si duraverit voluntas usque ad mortem, valeat donatio. — § 23. Sive autem res fuit, quae donata est, sive obligatio remissa⁹: potest dici, donationem effectum habituram: ut puta uxori acceptum tulit donationis causa quod debeat: potest dici, pendere acceptilationem non ipsam, sed effectum ejus: et generaliter, universae donationes, quas impediri diximus, ex oratione valebant. — § 24. Si inter virum et uxorem societas donationis causa contracta sit, jure vul-

100. L. 6, l. 18, l. 20, C. h. t.; L. 8, infr. de reb. dub. — 1. L. 26, infr. de mort. caus. donat.; adde d. L. 8, infr. de reb. dub. — 2. Adde l. ult. C. h. t. — 3. § 18, infr. C. h. t. — 4. L. 26, in fin. supr. eod. — 5. § 16, supr. h. t. — 6. L. 5, C. de repud. — 7. L. 4, C. h. t. — 8. l. 97, § ult. infr. de verb. oblig.; L. 4, C. de donat. ante nupt. — 9. § 26, infr. l. 1, § 1, supr. h. t. — 10. L. 5, in fin. supr. pro socio; L. 16, § 1, supr. de minor. — L. 53, § 5, infr. de mort. caus. donat. — 11. L. 7, § 6, supr. h. t. — 12. L. 5, § 5, supr. eod. — 13. § 25, supr. h. t. — 14. L. 68, infr. h. t. — 15. L. 9, supr. de sponsal. — 16. L. 15, in fin.

gato nulla¹⁰ est: nec post decretum senatus, emolumentum ea liberalitas, ut actio pro socio constituatur, habere poterit: quae tamen in commune tenuerunt, sine praestituto revocanda non sunt. Idcirco igitur pro socio actio non erit, quia nulla societas est, quae donationis causa interponitur, nec inter ceteros: et propter hoc nec inter virum et uxorem. — § 25. Idem erit dicendum, et si emptio¹¹ contracta sit donationis causa: nam nulla erit. — § 26. Plane si minoris¹² res venierit donationis causa, vel postea pretium sit remissum¹³, admittere donationem valere ad senatusconsultum. — § 27. Si quis sponsam habuerit, deinde eandem uxorem [duxerit], cum non liceret: an donationes quasi in sponsalibus factae valeant, videamus? Et Julianus tractat hanc questionem in minore duodecim annis, si in domum quasi mariti immatura¹⁴ sit deducta: ait enim hanc sponsam esse, etsi uxor non sit. Sed est verius quod Labeani videtur: et a nobis, et a Papiniano lib. 10 Questionum probatum est, ut si quidem praecesserint¹⁵ sponsalia, durent, quamvis jam uxorem esse putet qui duxit: si vero non praecesserint, neque sponsalia esse, quoniam non fuerunt, neque nuptias, quod nuptiae esse non poterunt: ideoque si sponsalia antecesserint, valet donatio: si munus, nulla¹⁶ est: quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad uxorem fecit et ideo nec oratio locum habebit. — § 28. Sed si senator libertinam deponderit, vel tutor¹⁷ pupillam, vel quis alius ex his, qui matrimonium copulare prohibentur, et duxerit, an donatio quasi in sponsalibus facta valeat? Et putem, etiam sponsalia improbanda, et quasi ab indignis¹⁸ ea, quae donata sunt, ablata, fisco vindicari.

53. *Idem*, lib. 36, ad Sabinum.

Si stipulata fuerit mulier annuum¹⁹, id ex stipulatu petere, constante matrimonio, non potest. Sed si manente matrimonio decessisse maritum proponatur, puto, quia in annuo quoque donatio vertitur, posse dici, stipulationem confirmari ex senatusconsulto. — § 1. Si uxori marito annum versa²⁰ vice praestiterit, restituetur ei hoc, et poterit vindicare id quod exstat: credo, poterit et condicere, in quantum locupletior factus est: quia non tam solemne est annum, quod maritus uxori pendit, et quod uxor marito praestat: imo incongruens est, et contra²¹ sexus naturam. — § 2. Et si forte maritus ab uxore stipulatus sit id annum²², decesseritque mulier constante matrimonio, dicendum erit, ex oratione donationem convalescere.

54. *Idem*, lib. 43, ad Sabinum.

Sive uxor marito res donasset, isque eas in dotem pro communi²³ filia dedisset; sive post donationem, quam in maritum contulit, uxor passa est, eum pro filia in dotem dare: benigne dici potest, etsi prima donatio nullius momenti est, attamen ex sequenti consensu valere dotis donationem.

55. *Idem*, lib. 34, ad Edictum.

Si non secundum legitimam²⁴ observationem divortium factum sit, donationes post tale divortium factae nullius momenti sunt: cum non videatur solutum matrimonium.

56. *Paulus*, lib. 36, ad Edictum.

Si donatae res exstant, etiam vindicari²⁵ poterunt: sed quia causam possidendi donatio praestitit, nisi reddatur res, aestimatio facienda est justo pretio: caverique possidenti debet de evictione simpli, quanti ea res sit: idque etiam Pedio videtur. — § 1. Sponsus alienum annulum sponsae muneri misit, et post nuptias pro²⁶ eo suum dedit: quidam et Nerva putant, fieri eum mulieris: quia tunc factam donationem confirmare videtur, non novam inchoare: quam sententiam veram esse accipi.

57. *Julianus*, lib. 17 Digestorum.

Si mulier dolo fecerit, ne res exstaret sibi a marito donata: vel ad exhibendum, vel damni injuria²⁷ cum ea agi poterit; maxime si post divortium id commiserit.

58. *Africanus*, lib. 3 Digestorum [a Paulo epitomatorum.]

Servus communis viri et fratris ejus, puerum donavit uxori fratris: pro qua parte is servus, qui donasset, viri esset, pro ea parte munus non esse factum mulieris respondit. — § 1. Idem juris erit, si ex tribus fratribus unus uxorem haberet, et rem communem uxori donasset: nam ex tertia parte mulieris res facta non est: ex duabus autem parti-

C. ad leg. Jul. de adult. — 17. C. de interdict. matrim. inter pupill. et tutor. — 18. L. 4, C. de incest. et inutil. nupt. — 19. In fin. infr. licit. L. 28, in fin. supr. h. t. — 20. L. 5, in fin. supr.; L. 50, in fin. infr. eod. — 21. Fac. L. 4, in fin. supr. ad SC. Velleian.; l. 16, in fin. C. de donat. ante nupt. — 22. In pr. supr. h. t. — 23. L. 5, § 9, supr. de jure dot. — 24. L. 9, infr. de divort. — 25. L. 5, in fin. supr. h. t. — 26. Fac. L. 45, in pr. infr. eod. — 27. L. 27, § 30, supra ad leg. Aquil.; L. 2, C. rer. amot.

bus reliquis, si id scissent fratres, aut, posteaquam donata esset, ratum habuissent; non debere mulierem reddere.

59. *Julianus*, lib. 5, ex Minicio.

Vir uxori pecuniam cum donare vellet, permisit²⁸ ei, ut a debitore suo stipuletur: illa cum id fecisset, priusquam pecuniam auferret, divortium fecit: quæro, utrum vir eam summam petere debeat, an ea promissione propter donationis causam actio nulla esset? Respondi, inanem fuisse [eam] stipulationem. Sed si promissor mulieri ignorans solvisset, si quidem pecunia exstat, vindicare eam debitor potest: sed si actiones suas marito praestare paratus est, doli mali exceptione se tuebitur: ideoque maritus hanc pecuniam debitoris nomine vindicando consequetur. Sed si pecunia non exstat, et mulier locupletior facta est, maritus eam petet: intellegitur enim ex re mariti locupletior facta esse mulier; quoniam debitor doli mali exceptione se tueri potest.

40. *Ulpianus*, lib. 2 Responsorum.

Quod apiscendae dignitatis²⁹ gratia ab uxore in maritum collatum est, eatenus ratum est, quatenus dignitati supplicae opus est.

41. *Licinius Rufinus*, lib. 6 Regularum.

Nam et imperator Antoninus constituit, ut ad processus viri uxor ei donare possit.

42. *Gaius*, lib. 11, ad Edictum provinciale.

Nuper, ex indulgentia principis Antonini, recepta est alia causa donationis, quam dicimus *honoris causa*: ut ecce, si uxor viro laticlavii petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ladorum gratia.

43. *Paulus*, lib. singul. Regularum.

Inter virum et uxorem exilii³¹ causa donatio fieri potest.

44. *Neratius*, lib. 8 Membranarum.

Si extraneus rem viri, ignorans ejus esse, ignorantem uxori, ac ne viro quidem sciente eam suam esse, donaverit: mulier recte eam usu capiet. Idemque juris erit, si is qui in potestate viri erat, credens se patremfamilias esse, uxori patris donaverit. Sed si vir rescierit suam rem esse priusquam usucipiatur, vindicareque eam poterit, nec volet, et hoc et mulier noverit, interrumpitur possessio: quia transit in causam ab eo facta donationis ipsius mulieris scientia: propius est, ut nullum acquisitioni dominii ejus adferat impedimentum: non enim omnimodo uxores ex bonis virorum, sed ex causa donationis ab ipsis factae acquirere prohibita sunt.

45. *Ulpianus*, lib. 17, ad Edictum.

Marcellus lib. 7 Digestorum scribit, etiam cum detrahero³² sine mulieris damno, et citra metum senatusconsulti, quod detrahentibus negotiationis causa occurrat.

46. *Idem*, lib. 72, ad Edictum.

Inter virum et uxorem nec possessionis³³ ulla donatio est.

47. *Celsus*, lib. 1 Digestorum.

Utrum negotium uxoris gerens, an officio mariti ductus, in rem ejus impenderit vir, facti non juris est questio. Conjectura ejus rei ex modo et ex genere impense non difficilis est.

48. *Idem*, lib. 9 Digestorum.

Quæ jam nuptæ maritus donavit, viri manent, et post ea vindicare: nec quicquam refert, quod ampla legata ab uxore ei relicta sunt.

49. *Marcellus*, lib. 7 Digestorum.

Sulpicius Marcellus: Mulier, quæ ad communem filium volebat, qui in potestate patris erat, post mortem patris fundum pervenire, eum patri tradidit, uti post mortem restitueretur filio: quæro, an donatio tibi videatur, ut nihil agatur? an valeat quidem, sed mulieri potestas datur, si noluerit, eum repetere? Respondit: Si color vel titulus (ut sic dixerim) donationi questus est, nihil valet traditio: id est, si hoc exigit uxor, ut aliquid ex ea re interim commodi sentiret maritus: alioquin si solo ejus ministerio usa est, et id egit, ut vel revocare sibi liceret, vel ut res cum omni emolumento per patrem postea ad filium transiret, cur non idem perinde sit ratum, ac si cum extraneo tale negotium contraxisset, hoc est, extraneo in hanc causam tradidisset?

50. *Javolenus*, lib. 15 Epistularum.

Si, cum mulier viginti servum emisisset³⁴, in eam emptionem vir quin-

28. L. 5, § 12, supr. h. t. — 29. L. 42, infr. eod. — 30. L. 40, l. 41, C. eod. — 31. Adde L. 15, § 1, supr. eod. — 32. L. 68, infr. eod.; L. 45, § 1, infr. de legat. 1. — 33. Vide tamen L. 1, § 4, infr. de acquir. vel amit. possess. — 34. L. 7, § 7, supr. h. t. —

que venditori dedit: divortio facto, omnimodo vir eam summam exigit. Neque ad rem pertinet, an is servus deterior factus sit: nam et si mortuus esset, quinque exactio ei competeret. Queritur enim, an mulier ex viri patrimonio locupletior³⁵ sit eo tempore, quo de dote agebatur? facta autem intellegitur, quæ ere alieno suo, interventu viri, liberata est, quod potuisset adhuc debere, si vir pecuniam non solvisset: neque enim interest, ex qua causa mulier pecuniam debuit; utrum creditam, an eam, quam ex emptione præstare debeat. — § 1. Quod si mulier non emerat servum, sed ut emeret, a viro pecuniam accepit: tum vel mortuo, vel deterioro facto servo, damnum ad virum pertinebit: quia quod aliter emptura non fuit, nisi pecuniam a viro accepisset, hoc consumptum ei perit, qui donavit; si modo in rerum natura esse desiit: nec videtur mulier locupletior esse, quæ neque a creditore suo liberata est, neque id possidet quod ex pecunia viri emerat.

51. *Pomponius*, lib. 5, ad Quintum Mucium.

Quintus Mucius ait, cum in controversiam venit, unde ad mulierem quid pervenerit: et verius, et honestius est, quod non demonstratur unde habeat, existimari³⁶ a viro, aut qui in potestate ejus esset, ad eam pervenisse. Eytandi autem turpis quæstus gratia circa uxorem hoc videtur Quintus Mucius probasse.

52. *Papinianus*, lib. 10 Questionum.

Si vir uxori, donationis causa, rem vilis locaverit³⁷, locatio nulla est: cum autem depositum inter eas personas minoris donationis causa aestimatur, depositum est. Hæc ideo tam varie, quia locatio quidem sine³⁸ mercede certa contrahi non potest, depositum autem et citra aestimationem quoque dari potest. — § 1. Uxor viro fructum fundi ab herede suo dari, quod si datus non fuisset, certam pecuniam mortis causa promitti curavit: defuncto viro viva muliere, stipulatio solvitur: ut traditio, quæ mandante uxore mortis causa facta est: nam quo casu inter externos conditio nascitur, inter maritos nihil agitur.

53. *Idem*, lib. 4 Responsorum.

Mortis suæ causa genero vel nurui socrum frustra donare convenit, quia, mortuo socero, nuptiae non solvantur: nec interest, an pater filium vel filiam exheredaverit. Divortii species, eadem ratione, diversa est. — § 1. Res in dotem aestimatas, consentiente viro, mulier in usu habuit: usu deteriores si fiant, damni compensatio non admittitur: easdem res non potest mulier sibi, quasi donatas, defendere ex illis verbis, quibus donationes ei a viro legatæ sunt: cum ejusmodi species neque donari neque auferri videtur.

54. *Idem*, lib. 8 Responsorum.

Vir usuras promissæ dotis in stipulatum deduxerat, easque non petierat: cum per omne tempus matrimonii sumptibus suis uxorem et ejus familiarum vir exhiberet, dote prælegata, [sed] et donationibus verbis fideicommissi confirmatis, legato quidem dotis usuras non contineri videbatur: sed titulo donationis remissas.

55. *Paulus*, lib. 6 Questionum.

Uxor marito suo pecuniam donavit: maritus ex pecunia sibi donata aut mobilem aut soli rem comparavit: solvendo non est, et res extant: quæro, si mulier revocet donationem, an utiliter condicitiâ experietur: videtur enim maritus, quamvis solvendo non sit, ex donatione locupletior effectus: cum pecunia mulieris res comparata extet? Respondi, Locupletior esse ex donatione negari non potest: non enim quærimus, quid deducto ere alieno liberum habeat, sed quid ex re mulieris possidet: solo enim separatur hic ab eo, cui res donata est, quod ibi res mulieris permanet, et vindicare³⁹ directo potest: et erit deterior causa viri, si ei pecunia, quatenus res valet, non ultra⁴⁰ id tamen quod donatum est, condicatur; quam si dotis judicio conveniatur. Sed nihil prohibet, etiam in rem utilem mulieri in ipsas res accommodare.

56. *Scevola*, lib. 3 Questionum.

Si, quod mihi mortis causa donare vellet, ego pure uxori donare vellem: non valet, quod uxori jubeo⁴¹ dari: quia illo convalescente, condicione teneor: mortuo autem nihilominus pauperior sum: non enim habeo, quod habiturus essem.

57. *Paulus*, lib. 7 Responsorum.

Ea, quæ a marito suo pecuniam ex causa donationis acceperat, litteras ad eum misit hujusmodi: *Cum petenti mihi a te, domine carissime, adnuerit indulgentia tua vixinti ad expediendas quasdam res meas, quæ*

35. L. 5, in fin. supr.; L. 8, C. eod.; L. 20, C. de jure dot. — 36. L. 6, in fin. C. h. t. — 37. Adde L. 5, § 5, supr. h. t. — 38. L. 25, in pr. supr. commun. divid. — 39. L. 5, in fin. supr. h. t. — 40. L. 26, § 3, supr. eod. — 41. L. 5, in fin. supr. eod.

summa mihi numerata est sub ea conditione, [ut] si per me meosque mores quid steterit, quo minus in diem vitae nostrae matrimonium permaneat, sive invito te discessero de domo tua, vel repudium tibi sine ulla querela misero, divorciumque factum per me probabitur: tunc viginti, quae mihi hac die donationis causa dare voluisti, daturam, restituarum me sine ulla dilatione spondeo: quero, [an], si eadem Titio marito suo repudium miserit, pecuniam restituere debeat? Paulus respondit, pecuniam, quam vir uxori donavit, ex stipulatione proposita, si conflictio ejus exstitit, peti posse: quoniam ex donatione in pecuniam creditam conversa est: quod si stipulatio commissa non probetur, tunc tantum peti posse, quanto locupletior ex ea donatione facta probetur.

58. SCAEVOLA, lib. 2 Responsorum.

Si praedia et mancipia Seiae data, effecta sint ejus tempore concubinae, ac postea tempore matrimonii alii⁴² acceptis reddita sunt: quid iuris est? Respondit, secundum ea quae proponerentur, negotium potius gestum videri, quam donationem intervenisse. — § 1. Item, cum quaereretur de cibariis⁴³ mancipiorum, respondit, tempore quidem concubinae data cibaria repeti non possunt: sed nec tempore matrimonii, si ea mancipia uxoris in communi usu fuerint. — § 2. Filii rebus matris intervenire solitus, pecunia matris, consentiente ipsa, mancipia et res mercatus, emptionum instrumenta suo nomine confecit; decessit in patris potestate: quaesitum est, an mater cum marito suo experiri, et qua actione uti possit? Respondit, si mater obligatum filium in ea pecunia voluit esse, intra annum quam filius decessit, de peculo cum patre; in cuius⁴⁴ potestate fuisse proponatur, actionem habere: si donavit, repeti posse, quanto locupletior ex ea donatione pater factus est.

59. PAULUS, lib. 2 Sententiarum.

Si quis uxori ea conditione donavit, ut quod donavit, in dotem accipiat: defuncto eo, donatio convalescit⁴⁵.

60. HERMOGENIANUS, lib. 2 juris Epitomatorum.

Vitricus et privignus invicem sibi donare praetextu matrimonii non prohibentur. — § 1. Divortii⁴⁶ causa donationes inter virum et uxorem concessae sunt: saepe enim evenit, uti propter sacerdotium, vel etiam sterilitatem.

61. GAIUS, lib. 11, ad Edictum provinciale.

Vel senectutem⁴⁷, aut valetudinem⁴⁸, aut militiam satis commode retineri matrimonium non possit.

62. HERMOGENIANUS, lib. 2 juris Epitomatorum.

Et ideo bona gratia⁴⁹ matrimonium dissolvitur. — § 1. Divortio facto nec instaurato matrimonio, non confirmabitur inter virum et uxorem facta donatio: nec inter patronum et libertam. Si ab eo invito divertere non licet, facta donatio separatur, cum inter hos divortium intercedat: perinde enim id quod donatum est habetur divortio intercedente, ac si donatum non fuisset.

63. PAULUS, lib. 3, ad Neratium.

De eo, quod uxoris in aedificium viri ita conjunctum est, ut detractum⁵⁰ alicujus usus esse possit, dicendum est agi posse, quia nulla actio est ex lege duodecim tabularum: quamvis decemviri non sit credibile de his sensisse, quorum voluntate res eorum in alienum aedificium conjunctae essent. Paulus notat: Sed in hoc solum agi potest, ut [sola] vindicatio soluta re competat mulieri, non in duplum, ex lege duodecim tabularum: neque enim furtivum est quod sciente domino inclusum est.

64. JAVOLENUS, lib. 6, ex posterioribus Labeonis.

Vir mulieri, divortio facto, quaedam idcirco dederat, ut ad se revertetur: mulier reversa erat, deinde divortium fecerat: [Labeo]: Trebatium inter Terentiam et Decenatem respondit, si verum divortium fuisset, ratam esse donationem; si simulatum, contra. Sed verum est, quod Proculus et Caecilius putant, tunc verum esse divortium, et valere donationem divortii causa [factam], si aliae nuptiae insecutae sunt: aut tam longo tempore vidua fuisset, ut dubium non foret, alterum esse matrimonium: alias nec donationem ullius esse momenti futuram.

65. LABEO, lib. 6 posteriorum a Javoleno Epitomatorum.

Quod vir ei, quae nondum⁵¹ viripotens nupserit, donaverit, ratum futurum existimo.

42. Fac. L. 36, § 1, supr. eod. — 43. L. 21, in fin. supr. eod. — 44. L. 19, supr. eod. — 45. L. 2, C. de dote rati. — 46. L. 11, § ult. supr. h. t. — 47. Hoc abrogat. N. 117, c. 12, in fin. — 48. L. 10, C. de repud. N. 22, c. 6; N. 117, c. 12. — 49. Hoc abrog. N. 117, c. 10; sed reduct. N. 140. — 50. Adde L. 45, supr. h. t. — 51. L. 35, § 27, supr. eod. — 52. L. 27, supr. eod. — 53. L. 7, § 3, supr. eod.

Tit. II. — 1. Lib. 2, C. 17; N. 117, c. 7 et sequent. — 2. N. 22, c. 20, in pr. — 3. L. 56,

66. SCAEVOLA, lib. 9 [Digestorum].

Seia Sempronio, cum certa die nuptura esset, antequam domum deduceretur tabulaeque dotis signarentur, donavit tot aureos: quaro, an ea donatio rata sit? Non attingisse tempus, an, antequam domum deduceretur, donatio facta esset, aut tabularum consignatarum, quae plerumque et post contractum matrimonium fierent, in quaerendo exprimi: itaque nisi ante matrimonium contractum, quod consensu intellegitur, donatio facta esset, non valere. — § 1. Virgini in hortos deductae ante diem tertium quam ibi nuptiae fierent, cum in separata dieta ab eo esset, die⁵² nuptiarum, priusquam ad eum transiret, et priusquam aqua et igni acciperetur, [id est, nuptiae celebrentur,] obtulit decem aureos dono: quaesitum est, post nuptias contractas divortio facto, an summa donata repeti possit? Respondit, id quod ante nuptias donatum proponeretur, non posse [de dote] deduci.

67. LABEO, lib. 2 Pithanon [a Paulo Epitomatorum].

Si uxor nummis a viro, aut ab eo qui in ejus potestate esset, sibi donatis servum emerit⁵³; deinde, cum ejus factus fuerit, eum ipsum donationis causa viro tradiderit: rata erit traditio: quamvis ea mente facta fuerit, qua caeterae donationes: neque ulla actio ejus nomine dari potest.

TIT. II.

DE DIVORTIIS ET REPUDIIS.

1. PAULUS, lib. 35, ad Edictum.

Dirimitur matrimonium divortio, morte⁵⁴, captivitate⁵⁵, vel alia⁵⁶ contingente servitute utrius eorum.

2. GAIUS, lib. 44, ad Edictum provinciale.

Divortium autem, vel a diversitate mentium dictum est, vel quia in diversas⁵⁷ partes eunt qui distrabunt matrimonium. — § 1. In repudiis autem, id est, renunciatione, comprobata sunt haec verba: *Tuas res tibi habeo*: item haec, *Tuas res tibi agito*. — § 2. In sponsalibus quoque discutiendis placuit renunciationem⁵⁸ intervenire oportere: in qua re haec verba probata sunt: *Conditione tua non utor*. — § 3. Sive autem ipsi praesenti renunciatur, sive absentem per eum qui in potestate ejus sit, cujusve is⁵⁹ eave in potestate sit, nihil interest.

5. PAULUS, lib. 35, ad Edictum.

Divortium non est, nisi verum, quod animo perpetuum constituendi dissensionem fit. Itaque quicquid in calore⁶⁰ iracundiae vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam [si] perseverantia apparuit iudicium animi fuisse: ideoque per calorem misso repudio, si brevi⁶¹ reversa uxor est, nec divortisse videtur.

4. ULPIANUS, lib. 26, ad Sabinum.

Julianus lib. 18 Digestorum quaerit, an furiosa repudium mittere, vel repudiari possit: et scribit, furiosam repudiari posse, quia ignorantis loco habetur: repudiare autem non posse, neque ipsam propter dementiam, neque curatorem ejus: patrem⁶² [tamen] ejus nuncium mittere posse: quod non tractaret de repudio, nisi constaret retineri⁶³ matrimonium: quae sententia mihi videtur vera.

8. Idem, lib. 34, ad Edictum.

Si filia emancipata idcirco diverterat, ut maritum lucro dotis adficiat, patrem fraudet, qui profectitiam dotem potuit petere, si constante matrimonio decessisset: et ideo patri succurrendum est, ne dotem perdat: non enim minus patri quam marito succurrere pretorem oportet: danda igitur est ei dotis exactio, atque si constante matrimonio decessisset filia.

6. JULIANUS, lib. 62 Digestorum.

Uxores eorum, qui in hostium potestate pervenerunt, possunt videri nuptiarum locum retinere, eo solo, quod alii temere nubere non possunt. Et generaliter definiendum est, donec⁶⁴ certum est maritum vivere in captivitate constitutum, nullam habere licentiam uxores eorum migrare ad aliud matrimonium: nisi mallet ipsae mulieres causam repudii praestare. Sin autem in incerto est, an vivus apud hostes teneatur, vel morte praeventus, tunc si quinquennium a tempore captivitatis excesserit, licentiam habet mulier ad alias migrare nuptias: ita tamen, ut bona gratia

infr. soluto matrim.: L. 12, § 4, infr. de captiv. et postlim. revera; vide tamen N. 22, c. 7; N. Leon. 35. — 4. d. N. 22, c. 9. — 5. L. 191, infr. de verb. sign. — 6. L. 1, C. de sponsal. — 7. L. 10, supr. d. t. — 8. L. 48, infr. de reg. jur. — 9. L. 33, supr. de ritu nupt. — 10. L. 22, § 9, infr. soluto matrim. — 11. L. 8, in pr. supr. de his, qui sui vel alien. jur. — 12. L. 16, § ult. supr. de ritu nupt. — 13. L. 22, § 7, infr. soluto matrim. — 14. N. 22, c. 7.

dissolutum videatur pristinum matrimonium, et unusquisque suum jus habeat imminutum: eodem jure et in marito in civitate degente et uxore captiva observando.

7. PAPIANUS, lib. 4, de Adulteriis.

Si poenituit⁶⁵ eum, qui libellum tradendum divortii dedit, isque per ignorantiam mutatae voluntatis oblati est: durare matrimonium dicendum: nisi penitentia cognita, is qui accepit, ipse voluit matrimonium dissolvere: tunc enim per eum qui accepit solvitur matrimonium.

8. Idem, lib. 2, de Adulteriis.

Divus Hadrianus eum qui alienam uxorem ex itinere domum suam duxisset, et inde marito ejus repudium misisset, in triennium relegavit.

9. PAULUS, lib. 2, de Adulteriis.

Nullum divortium ratum est, nisi septem civibus romanis puberibus adhibitis, praeter libertum ejus qui divortium faciet. *Libertum* accipimus etiam eum, qui a patre, avo, proavo, et caeteris sursum versum manumissus sit.

10. MODESTINUS, lib. 4 Regularum.

Patrono invito⁶⁶ liberta, quam in matrimonio habuit, ab eo decedere non potest: nisi ex causa fideicommissi⁶⁷ manumissa sit: tunc enim potest, licet ejus sit liberta.

11. ULPIANUS, lib. 3, ad legem Juliam et Papiam.

Quod ait lex⁶⁸, *divortii faciendi potestas libertae, quae nupta est patrono, ne⁶⁹ esto*: non infectum videtur effectuisse divortium, quod jure civili dissolvere solet matrimonium: quare [constare] matrimonium dicere non possumus, cum sit separatim: denique scribit Julianus, de dote hanc actionem non habere: merito igitur quamdiu patronus ejus eam uxorem suam esse vult, cum nullo alio connubium ei est: nam quia intellexit legislator, facta libertae quasi diremptum matrimonium, detraxit⁷⁰ ei cum alio connubium: quare cuicumque nupserit, pro non nupta habebitur. Julianus quidem amplius putat, nec in concubinato eam alterius⁷¹ patroni esse posse. — § 1. Ait lex: *Quamdiu⁷² patronus eam uxorem esse volet*. Et velle debet uxorem esse, et patronus durare. Si igitur aut patronus esse, aut velle desierit, finita est legis auctoritas. — § 2. Illud recitissime placuit: qualicunque voluntate intellegi possit patronus animum habere desisse quasi in uxorem, finiri legis hujus beneficium. Proinde cum patronus rerum amotarum cum liberta, quae ab invito eo divorterat, vellet experiri, imperator noster cum divo patre suo rescripsit, intellegi eum hoc ipso nolle nuptam sibi, qui eam actionem vel aliam importet, quae non solet nisi ex divortio oriri. Quare si accusae eam adulterii coeperit, vel alio crimine postulare quod uxori nemo objicit, magis est, ut diremptum sit matrimonium: etenim meminisse oportet, ideo adim cum alio connubium, quia patronus sibi nuptam cupit. Ubicumque igitur vel tenuis intellectus videri potest nolentis nuptam, dicendum est, jam incipere libertae cum alio esse connubium: proinde si patronus sibi desponderit aliam, vel destinaverit, vel matrimonium alterius appetierit, credendus est nolle hanc nuptam: et si concubinam sibi adhibuerit, idem erit probandum⁷³.

TIT. III.

SOLUTO MATRIMONIO DOS QUEMADMODUM PETATUR.

1. POMPONIUS, lib. 45, ad Sabinum.

Dotium causa semper et ubique praecipua est: nam et publice⁷⁴ interest, dotes mulieribus conservari, cum dotatas esse feminas ad subolem⁷⁵ procreandam replendamque liberis civitatem maxime sit necessarium.

2. ULPIANUS, lib. 33, ad Sabinum.

Solutio matrimonio, solvi mulieri dos debet: nec cogitur maritus alii eam ab initio stipulanti promittere: nisi hoc ei nihil noceat; nam si incommodum aliquod maritus suspectum habet, non debere eum cogi alii quam uxori promittere, dicendum est: haec, si sui juris mulier est. — § 1. Quod si in patris potestate est, et dos ab eo profecta sit: ipsius et filiae dos est: denique pater non aliter, quam⁷⁶ ex voluntate filiae petere dotem, nec per se, nec per procuratorem potest: sic ergo et promittendum Sabinus ait: ei ergo promittendum erit, cui uterque jusserit. Caeterum, si pater solus jussit, dotis actio filiae non erit adempta, quandoque sui juris filia fuerit facta: item, si voluntate solius filiae promittatur, remanebit

13. L. 3, supr. h. t. — 14. L. un. in fin. infr. unde vir et uxor. — 15. L. 56, supr. de ritu nupt. — 16. L. un. § 1, infr. unde vir et uxor. — 17. L. 10, supr. h. t. — 18. L. 1, C. de incest. et inutil. nupt. — 19. Immo vide L. 1, in pr. infr. de concubin. — 20. L. 51, in pr. supr. de ritu nupt. — 21. Arg. L. un. C. de concubin.

dotis actio integra patri. Sed utrum ut [et] agat solus, an [et] ut adjuncta quoque filiae persona experiri possit? Et puto, nec eam actionem amissam⁷⁷, quam adjuncta filiae persona potest habere: quod si sui juris fuerit facta filia, nocebit ei ista stipulatio. — § 2. Voluntatem autem filiae, cum pater agit de dote, utrum sic accipimus, ut consentiat, an vero ne contradicat filia? Et est ab imperatore Antonino rescriptum, filiam, nisi evidenter contradicat, videri consentire patri. Et Julianus lib. 48 Digestorum scripsit, quasi ex voluntate filiae videri experiri patrem, si furiosam filiam habeat: nam ubi non potest per dementiam contradicere, consentire quis eam merito credit. Sed si absens filia sit, dicendum erit, non ex voluntate ejus id factum: cavendumque, *rotam rem filiam habituram*, a patre: ubi enim sapit, scire eam exigimus, ut videatur non contradicere.

3. PAULUS, lib. 7, ad Sabinum.

Non solum autem in exigenda, sed etiam in solvenda dote, quae communis est patris et filiae, utriusque voluntas exquiritur: nec alter alterius deteriorem conditionem facere potest. Sed si pecunia ad patrem pervenit, quam filia accepit, actio de dote utriusque tollitur.

4. POMPOSIUS, lib. 45, ad Sabinum.

Si pater sine consensu filiae dotem a viro exegisset, et eandem alii viro ejus filiae nomine dedisset, [et] mortuo patre filia cum priore viro ageret: doli mali exceptione repellitur.

5. ULPIANUS, lib. 30, ad Sabinum.

De divisione anni ejus, quo divortium factum est, quaeritur, ex die matrimonii, an ex die traditi [marito] fundi maritus sibi computet tempus? Et utique in fructibus a viro retinendis neque dies dotis constitutae, neque nuptiarum observabitur: sed quo primum dotale praedium constitutum est, id est, tradita possessione.

6. PAULUS, lib. 7, ad Sabinum.

Si ante nuptias fundus traditus est, ex die nuptiarum ad eundem diem sequentis anni computandus annus est. Idem in caeteris annis servatur, donec divortium fiat: nam si ante nuptias traditus sit, et fructus inde percepti⁷⁸, hi restituendi sunt quandoque divortio facto, quasi dotis facti.

7. ULPIANUS, lib. 34, ad Sabinum.

Fructus [eos] esse constat, qui deducta⁷⁹ impensa supererunt: quod Scavola et ad mariti et ad mulieris impensas refert. Nam si mulier pridie vindemias doti dedit, mox sublatis a marito vindemiis divortii, non putat ei undecim duntaxat mensium fructus restitui: sed et impensas, quae antequam portiones fructuum fiant deducendae sunt. Igitur, si et maritus aliquid impendit in eundem annum, utriusque impensa concurrunt: ita et si impensarum a muliere factarum ratio habeatur, cum plurimis annis in matrimonio fuit, necesse est primi anni computari temporis, quod sit ante datum praedium. — § 1. Papinianus [autem] lib. 44 Questionum, divortio facto fructus dividi ait, non ex die locationis, sed habita⁸⁰ ratione praecedentis temporis, quo mulier in matrimonio fuit: neque enim si vindemiae tempore fundus in dotem datus sit, eumque vir ex calendis novembribus primis fruendum locaverit, mensis januarii suprema die facto divortio, retinere virum et vindemiae fructus, et ejus anni quo divortium factum est, quartam partem mercedis aequum est: alioquin si coactis vindemiis, altera die divortium intercedat, fructus integros retinebit: itaque si fine mensis januarii divortium fiat, et quatuor mensibus matrimonium steterit, vindemiae fructus; et quarta portio mercedis instantis anni confundi debebunt, ut ex ea pecunia tertia portio viro relinquatur. — § 2. E contrario quoque idem observandum est: nam si mulier, percepta vindemia, statim fundum viro in dotem dederit, et vir ex calendis Martii eundem locaverit, et calendis aprilibus primis divortium fuerit secutum, non solum partem duodecimam mercedis, sed pro modo temporis omnium mensium, quo dotale praedium fuit, ex mercede, quae debebitur, portionem retinebit. — § 3. Item si messes ejus anni, quo divortium factum est, colonum ex forma locationis sequantur, ante vindemiam soluto matrimonio nihilominus pecunia messium in computationem cum spe futurae vindemiae veniet. — § 4. Apparet igitur ex his, illos fructus, quos mulier percepit antequam nuberet, non debere in contributionem venire. — § 5. Ob donationes, item ob res amotas, ex his fructibus, qui post divortium percepti

Tit. III. — 1. Lib. 5, C. 18, N. Leon. 110; adde N. Just. 91, 97, 98, 109. — 2. L. 2, supr. de jure dot. — 3. L. 7, § 3, infr. de bon. damnator. — 4. L. 54, infr. h. t.; L. 1, § 1, supr. de pact. dotal. — 5. Vide tamen L. 7, supr. d. t. — 6. L. 38, § 12, supr. de usur. — 7. L. 46, supr. d. t.; L. 1, C. de fruct. et lit. expens. — 8. L. un. § 9, C. de rei uxori. act.